

1. Comprovincialem Episcopum non residentem, et ultra tempus a sacris canonibus concessum cum contumacia absentem, tenetur intra tres menses, per literas seu nuntium Sedi Apostolicæ denuntiare; ipsum vero Metropolitam similiter absentem antiquior provinciæ Episcopus denuntiare tenetur. (Conc. Trid. Sess. VI. De Ref. Cap I.)
2. Suffraganeos unoquoque saltem triennio ad Concilium provinciale conv: ; Metropolita autem legitime impedito, Co-episcopus antiquior id præstabit. (Ibid. C. 2.)
3. Negligentiam suffraganeorum in casibus a jure statutis supplet. (Cf. Con. plen. Baltim. II. Baltim. 1866, p. 61 ad marginem.)
4. Appellationes a sententiis suffraganeorum, juxta regulas a sanctis Canonibus definitas, recipit.
5. Metropolita licet ubicunque per provinciam crucem, jurisdictionis suæ insigne, præ se ferre, populo benedicere et pallio uti, quotiescunque in Ecclesia Metropolitana, illo uti posset.

DECRETUM V.

De Episcoporum Officialibus.

Ut gravissimi oneris ac solitudinis Episcopalis nonnihil ab Episcopis ipsis in alios transferatur, nec non negotia Ecclesiæ eo melius peragantur, habeant singuli Episcopi suos officiales quorum munera hoc decreto definiuntur.

1. Primus dignitate post Episcopum est Vicarius generalis ab Episcopo nominatus; nam eandem cum Episcopo personam moralem gerit, eandemque curiam constituit. Ideo a Vicario generali, ad Episcopum non fit appellatio, mortuo autem Episcopo, illius potestas cessat.
2. Dignitate secundus est archidiaconus qui Episcopo præsto